

M I S M

K O 2 O



15  
Theses Theologicae

De

# INDVRATIONE

Quas

*Auspicio JEHOVÆ*

Succinctâ methodo disputa-  
tionis ordinariæ loco publicæ  
disquisitioni subijciet

L. IOHANNES HÖPNERUS,

Prof. pub. ad D.Th. Archidiac.

RESPONDENTE

M. JEREMIA WEBERO Lips.

SS. Theol. Studiofo.

*Ad diem 3. Martij.*

Anno æræ Christianæ

---

M. DC. XXVI.

Lipsiæ,

*Imprimebat* GREGOR. Rihsch.

Theses Theologicae  
No. 10.

# INDVARTIONE

De  
S. J. H. O. R. A.

Succincte methodo disputata  
de  
divinis ordinibus seu gradibus  
et dignitatibus

J. JOHANNES HOPMANN  
Theologus

RECTOR

M. J. F. E. M. A. W. E. B. E. R. G. H. U. S.  
22. Tafel

Amst. 1717

1010

1717

1717

1717



ἐν ὀνόματι Κυρίου Ἰησοῦ.

**D**. Apostolus Paulus inter singulares ac horrendas DEI pœnas refert τὴν ἀσπίαν τῆς καρδίας, obdurationem cordis, qua impietatem tum gentilium tum Judæorum severissimè vindicavit. Rom. 11. v. 25. Ephes, 4. v, 18. 1.

Pœnam istam Moses emphaticis verbis describit: Dent. 28. v. 27. Percutiet te Dominus amentia & cœcitate ac furore mentis, ut palpes in meridie, sicut palpare solet cœcus in tenebris, & non dirigas vias tuas. 2.

Etenim gentiles in sensum adeò reprobum dati fuerunt, ut gloriam incorruptibilis DEI non tantum in similitudinem imaginis corruptibilis hominis commutârint, sed etiam in imaginem volucrum & quadrupedum & serpentium, Rom. 1. v. 23. 3.

Eadem cœcitate, amentia ac furore mentis percussi sunt Judæi, qui adventum Messia in carnem furenter pernegant, aliumq; Messiam hodieq; expectant, & fabulamentis nugisq; plus quàm anilibus cœcos animos pascunt, sicut porci vescuntur glandibus. 4.

Quinetiam in Papicolis clarissimum Indurationis exemplum nobis ob oculos statuitur, qui pertinaciter inhaerent erroribus, abusibus & abominationibus Idololatricis, & superstiosis cultibus Romanæ Thaidis, in quibus adimpletur vaticinium Micheæ c. 3. v. 6. Nox vobis pro visione erit, & tenebre vobis pro divinatione, & occumbet sol super Prophetas, & obtenebrabitur dies super eos. 5.

Inprimis scriptura Pharaonem veluti antesignanum hominum induratorum nobis proponit, qui per injustitiam, immisericordiam & Tyrannidem erga Israëlitas hospites, per crude- 6.

hissimum decretum  $\pi\alpha\rho\alpha\phi\omicron\nu\iota\alpha\varsigma$ , per incredulitatem & inobedi-  
entiam erga DEUM, per studium Magicarum artium, per im-  
pœnitentiam, hypocrisin & contemptum numinis divini cul-  
pam Indurationis incurrit, & tandē in peccato isto miserè perijt.

7. Quia verò induratio est atrocissima pœnarum omnium,  
& veluti  $\pi\epsilon\sigma\pi\omicron\lambda\iota\sigma\mu\omicron\varsigma$  aeternæ abjectionis à facie Domini: lubet  
hac vice potiora capita, quæ circa hoc peccatum notanda veni-  
unt, sub disputationis incudem revocare.

8. Principiò ex Augustino monemus, indurationem  $\tau\epsilon\rho\chi\omega\varsigma$   
considerari, 1. ut peccatum. 2. ut causam peccati. 3. ut  
pœnam peccati. Ita enim scribit l. 5. contra Julianum, c. 3.  
Cœcitas mentis, quam solus illuminator DEUS removeere potest,  
& est peccatum, quo in DEUM non creditur; & est pœna pec-  
cati, quâ cor superbum dignâ animadversione punitur; & est  
causa peccati, cum aliquid mali cœci cordis errore committitur.  
Prima consideratio hujus loci propria est.

9. Moses in Exodo tribus radicibus utitur. 1. est  $\rho, \text{in}$  præ-  
valuit, roboratus, obfirmatus fuit. Exod. 4. v. 21. c. 9. v. 35.  
2.  $\eta\psi\rho$  quæ radix significat durus ac difficilis fuit: & in hiphil,  
Induravit, difficilem fecit, Exod. 7. v. 3. c. 13. v. 15. 3.  $\kappa\beta\tau$  quæ  
radix significat aggravari, ingravescere, Exod. 7. v. 14. c. 8.  
v. 15. 32. c. 9. v. 7. 34.

10. Satis innuunt hæc verba actualem quandam indura-  
tionem. Notandum enim est, duplicem esse Indurationem.  
Prior est quædam connata ac insita  $\sigma\kappa\lambda\eta\rho\kappa\alpha\rho\delta\iota\alpha$ , quæ ex  
impurâ conceptione ac natiuitate ortum trahit, ob quam omnes  
Adæ posterii corda lapidea obtinent, Ezech. 11. v. 19. c. 36. v. 26.  
quæ ex parte etiam renatis adhuc adjacent, Marc. 16. v. 14. de  
quâ  $\sigma\kappa\lambda\eta\rho\kappa\alpha\rho\delta\iota\alpha$  hoc loco non agitur: Posterior  $\sigma\kappa\lambda\eta\rho\kappa\alpha\rho\delta\iota\alpha$   
acquisita est, & per iteratos enormium peccatorum actus &  
per inveteratam peccandi consuetudinem contrahitur, cordisq;  
duritie connatæ quandam veluti  $\pi\acute{\omega}\rho\omega\sigma\tau\upsilon$  seu callum superad-  
dit, sicut molliores manus partes ex durissimo labore callum con-  
trahunt, Ephes. 4. v. 18.

Hûc

Huc pertinent querimonia Spiritus Sancti, 2. Reg. 17. v. 14. 11.  
Induraverunt cervicem suam juxta cervicem patrum suorum.  
Jerem. 5. v. 3. Induraverunt cervices suas super petram, & no-  
luerunt reverti, Act. 7. v. 51. Durâ cervice, incircumcisis cor-  
dibus & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis: sicut pa-  
tres vestri, ita & vos.

Hoc enim peccatum homines induratos inhabiles reddit 12.  
etiam ad externum verbi auditum, quod patet ex exemplis Ju-  
dæorum, Turcarum & Papicolarum, quibus quando verbum  
veritatis offertur, & proponitur, oculi eorum non aliter luce  
ejus perstringuntur, ac noctuarum oculi ad clarissimum solis ju-  
bar cæcutiunt: quoq; magis DEUS per legatos suos instat monen-  
do, corripiendo, docendo: tantò illi insaniunt magis renitendo,  
persequendo, blasphemando, donec reddantur prorsus ἀμετα-  
μέλητοι, i. e. pœnitere nescij.

Ut autem peccatum istud penitus introspeciamus, 13.  
distinctè indurationis subjectum, objectum, formam &  
causas enumerabimus.

Subjectum indurationis quod attinet, referendi sunt 14.  
inter induratos omnes illi, qui veritati, quam vel naturâ duce, Subje-  
vel per illuminationem Spiritus Sancti percipere poterant, con- etū indu-  
tumaciter ac furenter resistunt. rationis.

Et hi pro duplici modo patefactionis divine veritatis in 15.  
duplici sunt differentiâ: Quidam extinguunt notitias na-  
turales, & contra dictamen rationis nec non contra punções  
conscientiæ ruunt in manifesta scelera, contaminant se idolola-  
triâ horribili, sunt effusi in fœdas libidines, quibus corpus & a-  
nimam polluunt, quales sunt infideles Ethnici, quibus in repro-  
bum sensum traditio, Rom. 1. v. 28. & ὁ παλῆνησία, i. e. dedolen-  
tia ascribitur, Ephes. 4. v. 19.

Quidam verò veritati in verbo patefactæ contumaci- 16.  
ter reluctantur, vel per errores contra fidem pugnantes, vel  
per enormia scelera ac peccata contra conscientiam.

17. Tribuit autem scriptura indurationem cordi, quod more scripturae sumitur pro intellectu & voluntate simul. Induratio, quæ intellectui contingit, dicitur excœcatio, & est talis animi passio, quâ intellectus pervertitur, ut illuminationes DEI repellat, & veritati sibi evidenter demonstratae locum dare recuset.
18. Illa verò induratio, quæ voluntati accidit, est talis affectus animi, quo voluntas ita avertitur à DEO, ut omnes admonitiones ac correptiones divinas respuat, & semper magis contrà renitatur, donec ad eum statum perveniat, ut eas ne sentiat quidem.
19. Objectum. Objectum indurationis est geminum: primarium & secundarium. Induratio enim πρῶτος versatur circa verbum veritatis, quod est norma fidei ac morum in Ecclesiâ verè Catholicâ. Δεύτερος versatur induratio circa generalem patefactionem DEI in libera natura ac conscientie humane per opus creationis & sustentationis, & per notitias naturales in mentibus infidelium adhuc residuas expressam, contra quæ principia veritatis infideles multa impiè designant, spontè agentes ea, quæ sciunt esse turpia ac mala.
20. Respectu igitur objecti induratio potest dividi in doctrinalem & moralem. Doctrinalis dicitur, quâ homo non solum intellectu & voluntate, verum etiam sensibus suis ita excœcatur & fascinator, ut veritati obtemperare nequeat. Moralis verò consistit in malignitate morum, quande quis illuminationes & adhortationes Spiritus S. & manifesta judicia DEI floccipendit, & veritatem sibi evidenter demonstratam admittere pertinaciter renuit.
21. Ita Pharaon partim verbo DEI, partim flagellis, partim etiam miraculis vehementius induratus fuit. Verbo, quod intolerabili superbiâ repellebat: Quis est Dominus, inquit, ut audiam vocem ejus? Exod. 5. v. 2. Flagellis, quia DEUS paulatim & moderatè, non continuo filo, sed per interval-  
valla



valla flagellabat eum, relinquens ei requiem subtracto ad tempus flagello. Miraculis, quia vidit Magos suos similia prodigia edere eorum, quae Moses DEI nomine edebat.

Forma seu potius deformitas indurationis graphice depingitur à D. Bernharo lib. 1. de Consideratione ad Eugenium. 22. Formae

Cor durum est, inquit, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, nec cedit minis, quin & flagellis duratur magis. Cor durum est ingratum ad beneficia, ad consilia infidum, ad iudicia seivum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina, praeteritorum obliviscens, praesentium negligens, futurorum improvidum. Ipsum enim est, cui praeteritorum praeter suas injurias nihil omnino praeterit: praesentium nihil non perit: futurorum nulla est, nisi forte ad ulciscendum prospectio atque preparatio: Et ut brevi cuncta horribilis mala complectar, cor durum est, quod nec DEUM timet, nec homines reveretur.

Scriptura non minus horribilis hujus mali qualitates pessimas & gradus malitiae notabiles edisserit, quantoperè totum inficiat hominem, & occupet praecipuas animae facultates, & principalia membra corporis, quò impediatur opus salutaris conversionis ac illuminationis. 23.

Cor dicitur incrassari, impinguari, excoecari, aggravari, indurari, Exod. 7. v. 3. 1. Sam. 6. v. 9. Esa. 6. v. 10. Matth. 13. v. 15. Mens dicitur percussa caecitate, Deut. 28. v. 28. Intellectus obtenebratus, Ephes. 4. v. 18. Voluntas inimica DEO & ad peccatum propensa. Oculi clausi & caeci, Matth. 13. v. 15. Joh. 12. v. 40. Aures obduratae, Psal. 58. v. 5. & incircumcisa, Act. 7. v. 51. Facies petra durior vel obfirmatior, Jerem. 5. v. 3. Cervix ferrea, Esa. 48. v. 4. Frons aenea, ibid. Sensus reprobus, Rom. 1. v. 28. Conscientia cauteriata, 1. Tim. 4. v. 2. Cor adamantinum, Zach. 7. v. 12. & aucta-vónov, panitere nescium Rom. 2. v. 5. & callo dedolentiae obdu-ctum.

Etum, Ephes. 4. v. 19. Spiritus κατανύξεως seu compunctionis tribuitur induratis, Esa. 29. v. 9. Rom. 11. v. 8. qui etiam dicuntur αὐτοκατάκριτοι, Tit. 3. v. 11. quod sibi metipsis iudicium condemnationis dicunt.

25. Peccatum igitur indurationis non unâ lineâ absolvitur, sed certis veluti gradibus malitiam acquirit, donec degeneret in malum prorsus ἀνίαλον, insanabile.

26. Primò enim in hominibus induratis cernitur inobedientia erga verbum, quod est organum conversionis; & hac inobedientia est fons omnis impietatis, Hiob. 21. v. 14. 15. Deinde oritur in cordibus illorum zelus non secundum scientiam, sed ζήλον ἄζήλον: invidia enim ac livore repleti estuant adversus doctrinam & praecones verbi. Talis erat zelus Pharaonis adversus Moysen: Judaeorum erga Christum & Apostolos, Exod. 10. v. 28. Act. 13. v. 45. Rom. 10. v. 2.

27. Tertio sequitur blasphematio: ex plenitudine enim cordis malevoli os loquitur, & spumat blasphemias, Luc. 11. v. 15. Johan. 8. v. 48. Quarto accedit violenta persecutio: ex blasphematoribus sunt persecutores, Act. 7. v. 58. cap. 8. v. 1.

28. Tandem sequitur supremus gradus, qui est σωμαχὴς ipsi indurationi, qui dicitur ἀπαλγησία seu dedolentia: sic Paulus ad Eph. 4. v. 19. ἀπηληγηκότας vocat, qui omnem sensum doloris conscientiam pungentis amiserunt; sicut musculi carnei ac molliculi in plantis manuum ac pedum multo usu obdurescunt & callum obducunt, ut nihil amplius sentiant: Ad eundem modum cor obduratur, ut omnem sensum salutis amittat, quâ Paulo πᾶρωσις appellatur, Ephes. 4. v. 18.

29. Taliter indurati sunt αὐτοκατάκριτοι, Tit. 3. v. 11. suoptè iudicio condemnati: cum enim se ipsos indignos iudicent vitâ aeternâ, & tamen nullo iudicii futuri metu commoveantur; in conscientia suâ convincuntur, quod aeternam condemnationem effugere nequeant. Unde nec precibus flectuntur, nec minis cedunt:

dunt: beneficiis non emolliuntur, flagellis non franguntur, miraculis non expugnantur.

Recto pede nunc transimus ad indagandas causas indurationis. Tribuitur autem in sacris literis induratio 1. Muneribus. 2. Dei ministris seu legatis. 3. Iphis hominibus induratis. 4. Diabolo. 5. deniq; ipsi D E O.

30.

Cause indurationis.

Primò enim induratio ac excæcatio muneribus ascribitur, Exod. 23. v. 8. Deut. 16. v. 19. Syr. 20. v. 31. verum non nisi ἀφορητικῶς, occasionaliter, quatenus avaris & argentanginâ laborantibus occasionem injustè agendi præbent: Si enim talibus φιλαργύροισ verbum D E I, jura naturalia & positiva, justitiam & alia innocentie præsidia ad animum revoces, si comminationes divinas & exempla severissimarum pœnarum, quibus DEUS animadvertit in injustos ac δωροφάγους, ipsis ob oculos statuas, nihil proficies, sed scopulis supplicabis.

31.

1. Munera quomodo indurent?

Deinde tribuitur induratio legatis D E I ac verbi ministris, Esa. 6. v. 10. Excæca cor populi hujus & aures ejus aggravata. Sed non nisi κατὰ τὸ συμβεβηκός, per accidens, quatenus impiis prædicant verbum, per quod magis indurantur: sicut calx cruda aquâ superinfusâ magis incalcescit: ita prædicatum verbum redditur ipsis odor mortis ad mortem, 2. Cor. 2. v. 16.

32.

2. Ministri verbi quomodo indurent?

Tertiò tribuitur causa indurationis ipsis hominibus: qui sibimetipsis indurationis suæ causa sunt, teste libro Sapiencia cap. 2. v. 21. excæcavit illos malitia eorum: manifesta enim veritati, quam vel ex notitiis naturalibus vel ex verbo divinitus revelato perceperunt aut addiscere potuerunt, hostiliter se opponunt, eamq; contra dictamen recte rationis, & contra tot monita Spiritus Sancti inanis gloriolæ studio omnibus modis infestantur & blasphemant, donec fallaciâ peccati obdurentur, Hebr. 3. v. 13.

33.

3. Homines quomodo se ipsos indurent?

B

Hac

34. *Hac ratione Pharaon seipsum induravit, Exod. c. 8. v. 19. Roboravit se cor Pharaonis, & non audivit eos, c. 9. v. 35. Ad- didit Pharaon ad peccandum, & aggravavit cor suum. Zedekias induravit cervicem suam & cor, ut non reverteretur ad Domi- num DEUM Israël, 2. Paralip. 36. v. 13. Israëlitæ indurave- runt facies suas supra petram, & noluerunt reverti, Jerem. 5. v. 3. Sic consitentur Israëlitæ, Nehem. 9. v. 16. Patres nostri superbè egerunt, & induraverunt cervices suas, & non audie- runt mandata tua. Zach. 7. v. 11. conqueritur DEUS: noluerunt attendere, & obverterunt scapulas apostatrices, & aures suas aggravaverunt, ne audirent, & cor suum posuerunt, ut ada- mantem, ne audirent legem & verba, quæ misit Dominus exerci- tum in Spiritu suo sancto per manum Prophetarum priorum.*

35. *Quartò tribuitur induratio Diabolo, qui est Deus hu- jus seculi, & excæcat mentes infidelium, ne fulgeat eis illumina- tio Evangelii gloria Christi, 2. Cor. 4. v. 4. qui efficax est in fi- liis incredulitatis, Ephes. 2. v. 2. & implet corda hominum, Act. 5. v. 3. Hic incitavit David, ut numeraret Israël, 1. Pa- ralip. 21. v. 1. & misit in cor Judæ, ut proderet Jesum, Job. 13. v. 2. Hic tollit verbum de cordibus hominum, ne credentes salvi fiant, Luc. 8. v. 12. & laqueis captivos tenet homines ad suam voluntatem, ut resipiscere nequeant, 2. Tim. 2. v. ult.*

4. Diabo-  
lus qua ra-  
tione in-  
duret.

36. *Ita pravis suggestionibus tentat mentes hominum, easq; idololatricis & falsis opinionibus inflat, & objicit eis varias car- nis illecebras, inflammat affectus, & intellectum interius variè perturbat, ut mendacium pro veritate, vitium pro virtute am- plectantur, totusq; in eo est, ut numinis divini reverentiam nec non discrimen honestorum ac turpium ex animis hominum radicitus extirpet, ac instillet illis anxietatem & fastidium verbi, contemptum & inobedientiam, odium ac persecutionem.*

37. *Magna quidem est Diaboli Tyrannis, quâ seducit homi- nes in omnis generis peccata: sed longè major est ejus Ty- ranni-*

ranni-

rannis in induratis hominibus, quos DEUS ex justo iudicio Satane tradidit excœcandos, quos veluti œstro percitos precipitat in atrociam flagitia ac tandem in sempiternum exitium.

Quintò denique tribuitur induratio passim in scripturâ DEO, & quidem in Exodo novies.

Primâ vice c. 4. v. 21. Ego indurabo cor Pharaonis.

Secundâ vice c. 7. v. 3. Sed ego indurabo cor ejus.

Tertiâ vice c. 9. v. 12. Induravitq; Dominus cor Pharaonis.

Quartâ vice c. 10. v. 1. Ego enim induravi cor ejus.

Quintâ vice eod. cap. v. 20. Et induravit Dominus cor Pharaonis.

Sextâ vice rursus eod. cap. v. 27. Induravit autem Dominus cor Pharaonis.

Septimâ vice c. 11. v. ult. Et induravit Dominus cor Pharaonis.

Octavâ vice c. 14. v. 4. Et indurabo cor ejus.

Tandem eod. cap. v. 8. Induravitq; Dominus cor Pharaonis regis Ægypti.

Istæ locutiones omnibus temporibus magnam in Ecclesiâ litem pepererunt. Manichæi propter phrasas istas duriores totam Scripturam Veteris Testamenti rejecerunt, teste August. serm. 88. de tempor. Pelagiani dicta ista de nudâ permissiōe ac tolerantia DEI exposuerunt. Calviniani hæc dicta interpretantur de efficaci operatione DEI, quâ corda hominum indurat, sicut Piscator in Com. super Exod. c. 4. v. 21. in observationibus, obfirmationem cordis Pharaonis, quâ mandato DEI obedire pertinaciter recusavit, vocat actionem DEI.

Ut igitur errorum scopulos præternavigemus, diligenter ponderandum est, quomodo DEUS non induret, & quomodo induret.

Non indurat DEUS I. ἐνεργητικῶς efficaciter, quâ ratione oves infirmas indurat, Ezech. 34. v. 16. quas enim in-

B 2

firmas

38.

5. DEUS  
quomodo  
induret?

39.

40.

41.

ἐπιφελ-  
τικῶς.

firmas reperit, consolidat, illamq; consolidationem non tantum efficit, sed etiam vult & approbat, hac ratione minime indurat impios, sicut Augustinus de induratione Pharaonis scribit, quest. 88. de tempore: Nemo cum Paganis aut Manichæis DEI justitiam reprehendere aut culpam presumat, sed certissime credat, quod Pharaonem non DEI violentia, sed propria impietas & indomabilis contra præcepta DEI superbia toties fecerit obdurari.

42. Neq; indurat DEUS cor Pharaonis & impiorum αιτιολογικως, id est, causaliter, qua ratione roboravit brachia Regis Babylonici, Ezech. 30. v. 24. Victoria enim est à DEO, quam etiam largitur & approbat DEUS: neq; hoc modo DEUS impios indurat, quo induravit Prophetam Ezechielem cap. 3. v. 9. Posui, inquit, frontem tuam quasi adamantem, qua durior est petrâ, ne timeas eos. Loquitur ibi DEUS de confirmatione Prophetæ in sancto proposito, & de constantiâ in officio, qua est insigne donum DEI.

43. Non indurat DEUS impios ωεσατιικως per modum præcepti, quomodo enim præciperet hoc peccatum, quod tam severe prohibet Psal. 95. v. 8. quodq; tam graviter abominatur & ulciscitur? Num DEUS auctor est eorum, quorum est severissimus ultor ac vindex?

44. Sed indurat DEUS corda hominum ωδραχωνηλικως  
καλαφαλι-  
κως. permissivè, qua tamen permissio rectè explicanda est. Hanc enim regulam Patres inculcant: Quando aliqua hominis vel Dæmonis improbitas DEO tribuitur, id tantum permissivè intelligi debet. Chrysoft. homil. 36. in Matth. Augustinus de gratia & lib. arbit. cap. 23. Damascen. lib. 4. de fide, cap. 20.

45. Neq; moveat te, quod verba scriptura de Induratione transitive efferantur: non enim perpetuò significant duritiam efficere, neq; in scripturâ, nec in communi usu loquendi:  
Inter-

Interdum enim indurare aliquem ponitur pro eo, quod est occasio-  
nem quandam & incitamentum præbere ad faciendum ea,  
per qua animus induratur, sicut munera dicuntur excæcare  
prudentes Exod. 23. v. 8. non quod effectivè corda excæcent, cum  
sint res sensiles ac corporeæ, sed quod δωροφάγοις occasionem  
præbeant, pervertendi judicium.

Damascenus præscribit talem regulam, lib. 4. de fide c. 20. 46.  
τὸ ἐξ ἁρχῆς τῆς θεῆς ὡς ἐργεῖα καὶ ποιήσιν αὐτῆς λέγειν συνηθὲς  
τῇ θεῖα γραφῇ, i. e. permissionem DEI ut actionem & opera-  
tionem ejus dicere, consuetum est sacra scriptura.

Neg. est, ut regulam Grammaticam nobis opponas, quod 47.  
verba in piel & hiphil efficacem operationem denotent: non  
enim est καθόλου: quod plurimis exemplis scriptura probari  
potest, in quibus verba in piel & hiphil permissivè expli-  
cantur, Exod. 1. v. 17. obstetrices vivificabant, i. e. vivere per-  
mittebant masculos. Deut. 20. v. 16. non vivificabis, i. e. non  
permittes aut fines vivere omnem animam. Sic Josua dicitur  
vivificasse seu vivere fecisse Rahab, Josua 6. v. 25. non quod ef-  
fectivè vitam ipsi dederit, quam antea habuit, sed quod permi-  
sit illam vivere. Judic. 21. v. 14. legimus: dederunt eis uxo-  
res de filiabus Jabes Gilead, quas vivificaverant, i. e. quibus vi-  
tam non ademerant.

Quando enim proprietas literæ impingit in aliquem articu- 48.  
lum fidei vel in alios textus manifestiores, nõ est urgenda litera,  
sed perpetua scriptura sententia ex clarioribus dictis investigã-  
da & munienda est. Quod si verba illa, ut sonare videntur, de  
efficaci operatione Indurationis interpretari velles, nonne  
DEUM authorem peccati, & indurationis contra perpetuum  
scriptura sensum statueres? Ipsa igitur scriptura talem Πίλοισιν  
congruentem cum analogiâ fidei monstrat: quando pbrasin  
hanc variat: Roboravit Pharaon cor suum: Induratum est  
cor Pharaonis.

Proinde regula supra allegata talem exceptionem adij- 49.  
simus:

B 3

simus:

*cimus: Quod verba activa in piel & biphil non perpetuò efficacem operationem denotent, sed vel permissionem, vel occasionem, vel approbationem, vel directionem, vel declarationem.*

50. *Hanc expositionem Augustinus, vel quicumq; est libri istius author de essentiâ divinitatis tom. 4. approbat: Indurare dicitur DEUS quorundam malorum corda, sicut de Pharaone scriptum est, non quod per potentiam suam dura faciat eorum corda: ( hoc enim impium est de DEO sentire: ) sed quia exigentibus eorum culpis duritiam cordis, quam ipsi sibi malè agendo nutriunt, non aufert, quasi eos induret, quia justo iudicio indurari sinit.*

51. *Anteà diximus, rectè esse explicandam permissionem DEI circa Indurationem & alia peccata. Idem enim Augustinus in Enchiridio cap. 96. sapienter monet: non fit quidquam, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo: ideò non est hic acquiescendum in nudâ aliquâ permissione. Aliquantò enim plus habet DEUS in induratione, quàm in aliis peccatis. Exempli gratiâ: DEUS permittit furari, mœchari hominem: nusquam verò dicitur ipsemet furari, sicut dicitur indurare.*

52. *Quod clarius ostendit Augustinus l. 5. contra Julian. c. 3. DEUM sc. concurrere ad indurationem cordis non modò secundum permissionem & patientiam, sed etiam secundum potentiam & actionem: non sanè, per quam immediatè fiat duritia ipsa cordis, sed per quam multa fiant, à quibus peccator suo vitio concipiat duritiam cordis, eamq; nutriat & roboret. Sic quoq; ex mente Augustini Lutherus in libro de servo arbitrio rejicit interpretationem hujus phrasew de nudâ permissione ac tolerantia, quod vim & ἐμφασιν hujus phrasew non sufficienter exprimat.*

53. *Ipsam autem permissionem DEI simpliciter non rejicit, sed expressè eam confitetur, Tom. 3. Jen. lat. p. 206. DEUS, inquit, Pharaonem induravit, dum illum per verbum Mosis ve-*  
lus



lut regnum ablaturus invasit, & intus Spiritum non dedit, sed ipsius impuram corruptionem permisit, regnante Satanâ succrescere & intumescere & procedere cum severitate quadam & contemptu.

Utitur quidem Lutherus in libro de servo arbitrio verbis durioribus. E.g. DEUM impellere voluntatem Pharaonis, rapere linguam ejus, voluntatem nullo modo posse impelli, nisi à DEO &c. verum ista & similia dicta de generali membrorum motu, non de ἀνάγκη istius motus intelligit: ita enim scribit. Tom. 3. Jen. f. 200. simpliciter loquitur: ego faciam, ut cor Pharaonis induretur, seu ut me operante & faciente induretur: quod quomodo fiat, audivimus, scilicet intus generali motu ipsam movebo voluntatem malam, ut suo impetu & cursu volendi pergat, nec cessabo movere.

Qui in hac questione secessionem à nobis faciunt, perpetuò nobis obijciunt nudam permissionem, quasi fingamus DEUM otiosum spectatorem rerum humanarum, & deturbemus eum de throno divinae suae gubernationis ac providentiae.

Quamvis immeritò nos accusent, qui abhorremus à nudâ permissione; quiq; indurationem, quâ homo se indurat, equè ac alia peccata divinae providentiae subijcimus, non quidem ut effectus divinae providentiae, sicut res reliquas, quae in ambitu boni continentur, quas divina προνοια intendit vel ut fines vel ut media per se ordinata ad istos fines: sed ut materiam, circa quam providentia DEI versatur, ita ut per eam interdum impediatur peccata, ne fiant: quandoq; ea permittat fieri: nonnunquam cum designata sunt ab hominibus contra voluntatem DEI, ordinet ea ad aliquod bonum. Omne enim id, quod per accidens resultat ex perpetratione mali, transcribendum est divinae sapientiae ac bonitati, quâ DEUS ex tantâ lernâ malorum contra intentionem Satanae ac organorum ejus bonum elicere novit, quod commodo Ecclesiae & salutipiorum proficuum est.

Prodest

54.

55.

56.

57. Prodest autem in conspectu habere, distinctos veluti actus seu gradus providentiæ divinæ circa Indurationis peccatum: qui partim generales sunt, partim speciales.

58. Generales sunt 1. sustentatio impiorum etiam in ipsa induratione, Act. 17. v. 28. 2. Præscientia DEI, scio, inquit DEUS, quod non dimittet vos Rex Ægypti, Exod. 3. v. 19. quæ tamen non est causa rerum præscitarum; sicut Augustinus scribit Respons. 13. ad articulos falsò sibi impositos. Nefas, inquit, fuerit, DEO adscribere causas peccatorum: qui etsi ex æternâ scientiâ præcognitum habet, quid uniuscujusq; meritis retributurus sit: nemini tamen per hoc, quod falli non potest, necessitatem aut voluntatem intulit delinquendi.

59. De istâ generali actione omnipotentia DEI, qua omnes creaturas, quatenus creaturae sunt, sustentat, earumq; actiones, quatenus tales, conservat, & eventus consiliorum & actuum humanorum manu suâ dirigit, intelligenda sunt duriora verba Lutheri, quibus utitur in libro suo de servo arbitrio, vide supra thesin. 54.

60. Et quamvis contra Erasmum propositionem istam: Omnia fieri necessariò: defendat, non tamen Stoicam, & absolutam asserit omnium actionum necessitatem, sicut mentem suam graviter explicat in Comment. super Genesin. c. 26. sed respicit ad generalem DEI providentiam, qua omnes res creatas gubernat, & minimè evertit ordinem naturæ à se conditum, qui in creaturâ rationali talis est, ut in externis rebus liberè velit, eligat & agat: sicut libertatem istam in rebus externis Lutherus in prædicto libro contra Erasmum in multis locis concedit, & in Augustanâ confessione, cui corde & calamo subscripsit, expressis verbis eam fatetur. Artic. 18. & in articulo 19. orthodoxam doctrinam, qua DEUS negatur esse causa peccati, calculo suo comprobatur.

61. Ad speciales actus plures gradus referrì possunt, qui Indurationem partim antecedunt: partim cum Induratione con-

ne con-

ne concurrunt, partim denique eam comitantur.

Primi generis sunt, 1. seria ad poenitentiam agendam exhortatio *per verbum*, quod etiam miraculis DEUS confirmavit; ita Pharaon & Judei vocati sunt, Exod. 7. Matthaei 23. 2. Severissima indurationis prohibitio multis increpationibus, querimoniis & comminationibus stabilita. Vide supra thesin II. 3. Desertio DEI, qua desertores ac contemtores verbi sui justè derelinquit, neque gratiam mollificantem eis impertit. Nunquam enim prius DEUS hominem deserit, nisi prius ab homine deseratur. Augustin. serm. 88. de tempor.

Ista derelictio diversimodè se habet respectu renatorum & non renatorum. Renatos sic deserit DEUS, ut pristinam gratiam illis subtrahat, quam privativam dicere queas: Impios ac non renatos ita deserit DEUS, ut gratiam mollificantem illis haud impertiat. Hinc Augustinus in Epistola 105. ad Sixtum scribit: Non obdurat DEUS impertiendo matitiam, sed non impertiendo gratiam: quibus autem non impertitur, nec digni sunt illi, nec merentur: quin potius ut non impertiatur DEUS gratiam suam, hoc digni sunt illi, & hoc merentur.

Quia igitur talis obfirmatio animi DEO extremè exosa est, sequitur. 4. Traditio in potestatem Satanæ, qui suapte naturâ summè proclivis est ad indurandos homines, à quibus recessit Spiritus sancti gratia, quod patet ex dictis Psalm. 35. v. 5. Psalm. 109. v. 6. & exemplis Saulis, 1. Sam. 16. v. 14. Davidis, 1. Paral. 22. v. 1. falsorum Prophetarum, 3. Reg. 22. v. 23. Jude proditoris, Job. 13. v. 2. 27.

Secundi generis sunt illi actus, qui cum Induratione concurrunt, quales sunt 1. detestatio istius peccati. 2. tolerantia DEI, qua tolerat induratos ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ, Roman. 9. v. 22. ut tantò magis innotescat DEI bonitas & Φιλανθρω-

C

λανθρω-

λαθραία, & hominum insuperabilis improbitas: Ex DEI quidem intentione patientia illa DEI quibusdam utilis est ad poenitentiam: ex accidente autem fit occasio, ut impij magis indurentur. 3. Determinatio metarum: nequaquam enim DEUS sinit impios grassari in infinitum, sed coercet illos, ac certas metas determinat, quousq; impietas eorum prorue-  
re debeat.

66. Tertij generis actus divinae providentiae comitan-  
tur & subsequuntur peccatum Indurationis, quales sunt:  
1. Gubernatio finis partim illius, quem homines indurati ex inspiratione Diaboli sibi habent propositum, quem divina πρόνοια vel impedit, vel contra eorum intentionem invertit: partim ejus finis, quem DEUS sibi habet propositum: sicut Joseph ad fratres suos dicit, Genes. 50. v. 20. Vos cogitastis de me malum, sed Dominus vertit in bonum. Non enim sineret bonus fieri male, nisi omnipotens de malo possit facere bonum, Augustinus in Enchiridio, cap. 100. 2. Vindictio & inflictio poenarum: tandem enim justissimus iudex induratos veluti ἀμελήτας, i. e. poenitere nescios mactat horrendis supplicijs, uti exempla Pharaonis, Saulis, Sennacherib, Juda proditoris, Antiochi, Juliani & aliorum comprobant.

67. Exempli loco adducimus primum peccatum Εὐα πειρήματα: cujus peccatum DEUS praevidebat, manumq; quam extendit ad fructum vetitum, sustentavit, qui sunt actus providentiae generales. Idem peccatum DEUS severissime prohibuit, additâ comminatione gravissimâ: à quo sancto mandato spontaneo voluntatis motu se avertit, ideò deseruit eam DEUS, & gratiam antea collatam ipsi subtraxit: unde evenit, quod serpens Evam astutiâ suâ seduxit, 2. Corinth. 11. v. 3. Hi sunt actus divinae providentiae antecedanei. Porro displicentia & detestatio DEI effulget ex iudicio

disio gravissimo, quod cum protoplastis DEUS instituit, eos etiam tam diu toleravit, donec per veram pœnitentiam ac fidem in semen promissum conversi sunt ad DEUM: insuper etiam metam posuit Eva, ne gravius peccaret, cohibendo ejus manum, ne ad arborem vite eam extenderet: qui sunt actus cum lapsu isto concurrentes. Tandem pœnis gravissimis ultus est mandati sui prævaricationem, simulq; lapsu illo bene usus est ad justitiæ & misericordiæ suæ patefactionem. Quia verò Eva resipuit, ideò in censum induratum referrî nequit: interim ex isto exemplo elucescit, quomodo circa peccata hominum occupata sit divina providentia.

Cum itaq; tot actibus divine providentiæ stipata ac circumvallata sit hæc, quam docemus, permissio, quis nudam atq; otiosam permissionem DEI nobis objicere audebit? 68.

Hoc quoq; adjiciendum esse videtur, permissionem illam DEI cum aliqua ejus voluntate conjunctam esse, cum impossibile sit, DEO nolente, h. e. invito aliquid permitti. Volens igitur DEUS permittit indurationem & alia peccata: ita tamen, ut permissio respiciat à causâ peccati, quæ DEI naturæ contrariatur; voluntas verò permittentis intendat illud ipsum bonum, quod sapientiæ & bonitatis divina ex malo educere decrevit. 69.

Hæc permissio DEI est quidem voluntaria, volens utiq; permittit: Veruntamen permissio objectum est peccatum, quod adversatur voluntati DEI: Voluntatis verò objectum non est peccatum ipsum, sed permissio: cujus permissio (non verò peccati) finis est bonum illud, quod divina providentia inde elicere novit. 70.

Lombardus lib. 1. sent. dist. 46. lit. F. distinguit inter velle, & nolle & non velle. Non DEO volente vel nolente 71.

sed non volente fiunt mala: quia non subest DEI voluntati, ut malum fiat vel non fiat, sed ut fieri sinat; quia bonum est sinere mala fieri, & utiq; volens sinit, non volens mala: sed volens sinere sinit, ut ipsa fiant: quia nec mala sunt bona, nec ea esse vel fieri bonum.

72.

Ut autem clarius clucescat, quomodo DEUS non volens indurationem & alia peccata, volens tamen eadem permittat, tres sequentes Positiones considerabimus. 1. Peccatum fit DEO volente: haec Positio est falsa. 2. Peccatum fit DEO nolente, hoc est, invito DEO, cum tamen repugnante DEO impossibile sit quicquam fieri: & haec Positio falsa est. 3. Peccatum fit DEO non volente, haec Propositio vera est, & tot verbis extat in Psal. 5. v. 5. Velle enim internam voluntatis electionem, approbationem & & odium seu delectationem, nec non efficacem operationem denotat, qua ratione DEUS bonum duntaxat vult & adprobat. Nolle designat ἠαὐξίον & ἔχθρην, odium & aversionem cum repugnantia & impeditioe conjunctam. Non velle autem denotat actum negativum non volendi, qui est indifferens, sine actus affirmatione, & quamvis rem ex interno voluntatis principio aversetur, eam tamen efficaciter impedire non cupit.

73.

Permissio igitur nuda & otiosa non est, sed conjuncta cum determinatione & directione, & tandem etiam punitione vel in resipiscentibus remissione peccati. Ergo ignorante DEO homines non indurantur per peccata, hoc enim repugnaret omniscientia DEI, Exod. 3. v. 19. Neq; etiam DEO otioso aut non curante homines indurantur & peccant; id enim repugnaret ipsius providentia. Desinant igitur adversarii nudam & otiosam permissionem odiosè nobis obiicere.

74.

Pareus tamen in suo Irenico aliam dicam nobis scribit, ac si culpabilis indulgentia DEUM insimulemus, sicut berus culpa non vacet malè administrata familia, qui famulos domus  
sue,

sua, quos coërcere poterat, belluari, scortari, tumultuari, in  
summis miscere permittat.

Augustinus homil. 88. de tempor. hoc simili utitur, quod **75.**  
**DEUS** indulgendo, pœnas differendo & benefaciendo induret  
reprobos, sicut berus indulgendo servum reddit deterio-  
rem.

Sanè berus dissolutus non immeritò accusatur neglecti of- **76.**  
ficii, quod non impedit peccata famulorum, quæ impedire potu-  
erat & debuerat, quæq; ad bonum finem dirigere minimè nove-  
rat. Verùm longè dispar est **DEI** ratio, qui justas habet sue  
permissionis causas, malum quoq; à se permissum ad fines salu-  
tares dirigere novit.

Potest quidem culpa aliqua redundare in permittentem ex **77.**  
hisce conditionibus: 1. Si nullam justam permittendi peccati  
causam habeat. 2. Si ruentem baud sufficientibus viribus ac  
presidiis instruxerit, quibus fretus lapsum præcadere voluisset  
ac potuisset.

Sed neutra harum conditionum in **DEUM** cadit. Non pri- **78.**  
ma: Justissimus enim mundi iudex gravissimas hujuscè permis-  
sionis causas habet: vel enim punit contemptores verbi cæcitate  
mentis: vel ostendit suam longanimitatem erga impios relin-  
quens illis spacium pœnitentiæ: vel constituit permissione im-  
piarum actionum benè uti, easq; ad fines salutares dirigere.  
Nec altera, quia proposuit homini vitam & mortem, bonum  
& malum, Syrac. 15. v. 18. Primum etiam hominem sufficienti-  
bus presidiis contra lapsum instruxit. Et licet homo post lapsum  
in spiritualibus rebus omnes vires, quoad bonum perfectè cogno-  
scendum & amplectendum amisit: tamen ne in hac perdi-  
ta quidem natura **DEUS** quenquam vi impellit vel ad bonum  
vel ad malum, sed ad bonum trahit non renatos per notitiam  
**DEI** naturalem & per externam pedagogiam; renatos verò  
trahit ad bonum per verbum & Sacramenta, per quæ Spiritus  
sanctus efficaciter operatur: In peccata autem ruere eos sinit vi-

tii congeniti pravitate, neminem verò occultàvi ad peccandum instigat vel impellit.

79. Sicut igitur religiosissimè hunc scopulum evitare debemus, ne DE I providentiam circa indurationem & alia peccata negemus: ita etiam alterum scopulum declinare studeamus, ne doctrinam de gubernatione & providentia DE I eò detorqueamus, ut DEUS summè bonus statuatur author peccati, cum in æternum nulla distinctio, nullus respectus, nulla tam subtilis cautela inveniri queat, quâ DEUS peccatum voluerit, velit aut voliturus sit. Quicquid enim DEUS vult, semper est aliquid aliud, quàm peccatum.

80. Hujusmodi induratio perpetuum adjunctum est peccati in Spiritum sanctum, non verò formaliter ipsum peccatum in Spiritum sanctum. Unde nec Pharo, licet induratus fuerit, commisit peccatum in Spiritum sanctum, quia non fuit membrum veræ Ecclesie, destitutus etiam fuit sufficiente veritatis cœlestis agnitione, quam tali modo peccantes scienter ac malitiosè oppugnant & blasphemant usq; ad finem vitæ.

81. Hinc induratio non tantùm peccato in Spiritum sanctum, sed multis aliis peccatis accidere solet, ut incredulitati, avaritiæ, invidia, impudicitia, ebrietati, maledicentiæ &c. Frequentius sanè est peccatum istud inter eos, qui Christi nomine gaudent, quò diligentius cavendum est, ne Diabolus nos incautos in nasam hujus atrocissimi peccati abripiat, & inhabiles reddat ad seriam conversionem.

82. Et quia certissima hujus peccati occasio est, quando homo media conversionis fastidiosè contemnit, & vel obstinatè defendit errorem contra doctrinã cœlestem; vel pertinaciter perseverat in peccato aliquo enormi ac mortali: Ideò vitanda est hæc occasio, si malum ipsum devitare cupimus, ne claudamus oculos ad clarissimum veritatis jubar, quod in speculo verbi corda nostra irradiat, & oculos mentis perstringit:



git: neq̄ aggravemus aures nostras, quando eas admonitiones  
& correptiones Spiritus sancti circumsonant: Si peccavimus,  
inquit Augustinus serm. 88. de tempor. peccata nostra senti-  
ant nos iudices & accusatores, non patronos.

Tandem piis invigilemus precibus, ne projiciat nos **DEUS** 83.  
à facie sua, ne vè auferat à nobis sanctum suum Spiritum, Psal. 51.  
v. 13. sed ut doceat nos semper voluntatem ejus facere, & Spi-  
ritus bonus deducat nos in viam rectam, Psal. 143. v. 10. ut q̄ au-  
ferat cor lapideum de carne nostra, & det nobis cor carneum,  
ut in praeceptis ejus ambulemus, Ezech. 36. v. 26. hodieq̄ si vo-  
cem ejus audiverimus, ne obduremus corda nostra,  
Psal. 95. v. 8. *Ipsi sit laus & honor seculis  
indefinitis, A M E N.*

F I N I S.





Grimma

10. Juli 1985

24. April 1987

mpeln!

31.8° 4242 x

